



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

15. Veritas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

P A S S U S X V.

Veritas.

T E X T U S.

*Deponentes mendacium, loqui-
mini veritatem unusquisque
cum proximo suo. Ad Ephes.
C. 4. 25.*

Cognitio.

Veritas, seu veracitas est virtus, quâ ver-
bis aut signis, quando & quomodo
oportet, manifestamus res, ad nos aut ad
alios pertinentes, prout in se sunt.

Actus.

1. Mendacium & simulationem corde des-
testari, & ore fugere.
2. Quando, quomodo, & ubi oportet,
verum dicere.
3. Nunquam ob alterius favorem, aut ob
spem lucri, aut ob metum detrimen-
ti verum celare, vel palliare, si illud
dicere teneamur.
4. Res sicut sunt, simpliciter enuntiare;

E s.

am-

amphibologias verò , restrictiones mentales , duplicitatem & ambiguitatem in colloquiis declinare.

5. Stare promissis , nisi justa causa obstat , & in melius mutare suadeat.

Consideratio.

Ad veritatem diligendam , tuendamque , meritò te excitent uberes fructus ex ea promanantes : nam I. Deus est veritas , cui contraria est omnis falsitas. II. In veritate vera libertas ; in mendacio autem fluctuatio & anxietas. III. Nihil eà jucundius , nihil utilius , nihil desiderabilius , nihil invincibilius : *Magna est veritas , & prævalet.* 3. Esdræ c. 4. 4. Hæresesque & errores expugnat ; nam *Veritatis cuneo omni extruditur hæresis* , ut ait Tertullianus contra Marcionem. O veritas magna , utinam prævaleres semper in omnibus !

Petitio.

Domine JESU , Via , Veritas , & Vita ; concede propitius , ut mens , lingua & opera cum veritate concordent ; ut quod sentio in corde , proferam ore , & opere perficiam : vota & promissa impleam , veritatem diligam , veritatem liberè proferam , defendam & prædicem : simulque omnem simulationem , ambiguitatem , falsitatem , & mendam-

ladium devitem; quia scriptum est: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Psal. 5.

Aspirationes.

I. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Psal. 14. 1.

II. *Amplectere veritatem, & fruere illâ: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* S. Aug. de lib. arbit. c. 17.

III. *O Spiritus veritatis, qui diligis veritatem, fac me quoque eam diligere!*

PASSUS XVI.

Simplicitas.

TEXTUS.

*Estote prudentes sicut serpentes,
& simplices sicut columbæ.*

Matth. c. 10. 10.

Cognitio.

Simplicitas est sinceritas, vel candor animi, ab omni dolo, simulatione, & furo alieni, qualis est in pueris & infantibus.
S. Clemens Alexand.